CAROLI MARIAE MILLIARII IN FUNERE CLEMENTIS 11. PONT. MAX. ORATIO AD...

Carolus Maria Milliarius



CAROLI MARIÆ MILLIARII
BELLUNENSIS

IN FUNERE

CLEMENTIS XI.
PONT. MAX.

ORATIO

Ad Eminentissimum Principem

ANNIBALEM ALBANUM
S.R.E. CARDINALEM.





PATAVII. MDCCXXI.
Typis Jo. Baptistæ Conzatti.
Superiorum Permissu.

CAROLUS MARIA MILLIARIUS
MON. CASIN.
EMINENTISSIMO PRINCIPI
ANNIBALI ALBANO
S·R·E· CARDINALI

S. P. D.



Um Monachi D. Justinæ Congregationis Casinensis CLEMENTI *XI. Patruo Tuo, cui plurima, & maxima deberent, solemniter justa persolvere*

vere decrevissent, testatumque omnibus esse vellent suum gratum, ac memorem erga Illum animum, jussus ego sum, PRINCEPS EMINENTISSIME, *de Optimo, Sanctissimoque Pontifice verba facere. Quem exitum habuerit oratio mea, dicere non ausim. Id vero affirmare possum, eum, qui tunc habendam a me esse orationem voluit, eundem ipsum, ut id non modo publicum, sed diuturnum etiam monumentum esset, nunc in lucem edendam esse voluisse. Quod eo equidem feci libentius, quo, cui eandem nuncuparem, mihi minus erat ambigendum. Nam cum ea, qualiscumque sit, ad patrimonium dignitatis, quod a Patruo amplissimum accepisti, spectare videatur, Tibi uni certe ve-*

luti

luti quadam particula hareditatis debebatur. Hic autem latissimum video patere mihi campum laudum Tuarum. Quem quominus ingrediar, dua me caussa penitus impediunt: altera, quod ea tam illustri sunt in loco posita, ut nihil omnino sint ex me splendoris habitura; altera, quod Tibi cum Patruo Tuo praclara quadam est communio rerum, & laudum omnium: ut nemo non intelligat, me hoc nomine Amplissimi Patrui laudes percurrisse, non pratermisse Tuas. Percurrisse vero me iccirco dico, quod parum ingenii, minimum vero temporis ad eam rem absolvendam habuerim. Eo autem consilio eandem augere, atque amplificare nolui, ut eadem illa temporis ratio, qua illius tenuitatem prastiterat, cum

di-





Ellem sane, Auditores, Deus O. M. fecisset, ut vivo potius Clemente XI. in communi omnium lætitia gratias ageremus, quam mortuo in tam gravi cunctorum luctu honores quæreremus. Sed quoniam repente ille nobis ereptus est, cum tuendos nos, ornandosque non ita pridem suscepisset, non est profecto committendum, ut quæ a nobis grati animi officia, significationesque vivus meruit, mortuus desideret. Hoc igitur in funere Summi, Optimique Pontificis totius Christianæ Reipublicæ vicem miseram, atque gravem dolemus quidem, sed nostram

tamen nunc potissimum lamentamur, qui vel privatim ab illius morte insignem calamitatem accepérimus. Quare date veniam, Auditores, dolori nostro, si cum essent publici detrimenti illustriores caussæ repetendæ, ab illis incipimus, quæ ad unum nostrum Ordinem, Familiamque pertineant. Etenim hac mea oratione non illius nomini, ac gloriæ, quibus laudandis alio prorsus oratore, atque ego sum, opus esset, sed ipsius officii pietati, sed grato animo, sed dolori, inquam, nostro aliquam partem satisfacimus. Cum enim Bandinus Panciaticus, Cardinalis amplissimus, & summa integritate, atque innocentia Vir, cui res nostræ jampridem commissæ ab Innocentio fuerant, diem suum obiisset, deque Patrono, ut mos est, in ejus locum Congregationi nostræ sufficiendo ei Optimates nostri supplicassent, noluit Pontifex benignissimus, ut alium quempiam in Patronum haberemus, quam eum, qui communis est Parens omnium. Quid autem expressius ad suam erga nos voluntatem significandam excogitare poterat, quam cum effecit, ut eundem ipsum & Principem,

& Pa-

& Patronum agnosceremus? Quo sane fieret, ut quæ in nos beneficia contulisset, essent illustria ipsa per se, quod a Principe proficiscerentur; essent autem pro ipsius clienteiæ necessitudine gratiora. Qua igitur voce, quibusque lacrymis, quandoquidem nihil quicquam præterea possumus, tantam, quam fecimus, jacturam, orbitatemque deflebimus? Ecquamnam aliam cultus erga illum nostri declarationem, quam aut illi jucundiorem, aut demum sanctiorem daremus, atque hanc ipsam, eam illi justa pie, sanctèque persolvimus? Alienum a Christiana pietate certe quidem esset, nisi cui viventi a Deo precari continenter essemus, (supremis autem hisce temporibus etiam vehementius,) ut diu sospes, atque incolumis, omnium gentium bono, Orbi Terrarum universo præesset, ita mortuo beatissimam illam requietem precaremur, ad quam unam omnem animum vivens intendebat, appetebat unam. Eo dumtaxat spectant hæ funeris pompæ, hic tristissimus hujus Templi habitus, hæc ipsa mea oratio, ut grati animi sensui, ut christianis

 mo-

moribus, ut nostro omnium mærori prospiceremus, vel potius non deessemus. Illud certe doleo, & vehementer, & ex animo doleo, delectum esse me, qui neque ingenio, neque ad dicendum exercitatione admodum possum, præsertim vero cum hac ipsa temporis angustia non impeditior modo, sed quodammodo opprimor. Neque enim is, cui mihi parere & voluptas, & pietas est, & qui meas vires a sua erga me humanitate æstimat, non maturæ hæc justa persolvenda esse existimavit, idque non sapienter modo existimavit, sed etiam pie. Etenim cum sibi, tum nobis molestissimum esse videbat, diu detineri, quin dolori nostro, & officio consuleremus, tum intelligebat, sanctissimis illis Manibus ingratum, acerbumque futuram, si sacrificia illa, quæ potissimum postulat, & amplissimandæ celebritatis cura, & arbitria funeris distulissent. Duæ vero sunt res, quæ me magnopere, Auditores, recreant, & humanitas ista ipsa vestra erga me, & ipsa Clementis XI. magna, & perspecta virtus. Quarum rerum altera meam ipsam ingenii

tenuitatem quodammodo præstabit, altera id efficiet, ut etiam videar in dicendo aliquid posse. Etenim cum multa, & magnifica sint, quæ ille gessit, etsi nullam ego artem adhibebo, & copiam orationi conciliabunt, & dignitatem. Quare non illud despero, fore, ut benevole, attenteque audiaris eam orationem, in qua omnis copia, dignitas omnis, non a dicentis artificio, sed a rebus ipsis proficiscetur.

Natus est Johannes Franciscus Albanus Urbini apud Metaurenses, claro, & nobili genere, ac de Ecclesia optime merito. Etenim ejus Avus Annibal Vir ex ætate doctissimus, a Francisco Maria Roboreo, Urbinatium Duce, cui ipsius consiliis plurimum uteretur, Romam legatus, ejusdem nomine Urbano VIII. Romano Pontifici Metaurensium ditionem cessit. Qua obita legatione, Romanum Senatorem gessit; ea vero laude, ut bene multi dubitaverint, utrum in majore gratia, & existimatione cum Pontifice legatus fuerit, quam cum Populo Romano Senator fuit. Nobis autem illud alterum dubitandum, vestigan-

dum-

dumque relinquitur, qui Nepotis virtutem perspiciamus, uter de Romana re melius meritus sit, Avus, cum Reipublicæ Imperium amplaverit, an Nepos, qui eandem felicissime rexerit. Ad quem Nepotem ut redeam, is, ubi quidem ex ephebis excessit, Romæ, in illa hominum luce, omniumque arce disciplinarum, apud Carolum Barberinum, Virum amplissimum, eductus, Græcis, Latinisque literis, & optimis quibusque artibus, ac disciplinis tam felicem operam dedit, ut ea brevi apud omnes existimatione, & gratia floruerit, qua sese ad summos honores, eamque, ad quam est evectus, summam omnium Ecclesiæ dignitatem componeret. Primam autem studiorum suorum veluti palæstram esse voluit illorum doctissimorum hominum consuetudinem, qui apud Christinam Svecorum Reginam colendarum literarum caussa conveniebant. Antiquam autem Italorum in literis dignitatem, quæ nonnihil, aut inclinatione temporum, aut culpa hominum labefacta erat, præsertim vero latinas literas ab inani fuco, qui tum potissimum

in

in pretio erat, vendicabant. Verum ad ſanctioris vitæ genus profitendum divino numine excitatus, ad majora, & ſanctiora ſtudia, atque adeo ad communem hominum utilitatem mentem, operamque convertit. Vix autem converterat, cum illico ii, apud quos hæc auctoritas erat, Canonicum S. Laurentii, ut ajunt, in Damaſo, & Eccleſiæ Sublacenſis Vicarium, & Viſitatorem eſſe voluerunt. Itaque juvenilibus ſtudiis minora præmia ex æquo reſponderunt. Hoc autem jam tum patebat, quantum proficeret in iis ſtudiis, cum pro eiſdem tam magna illi munera conferrentur. Sed in Sublacenſis Eccleſiæ adminiſtratione illa, in qua tum primum de noſtro Ordine benemereri cœpit, id effecit, ut Synodus cogeretur, coacta perficeretur; perfecta vero a ſe ipſo literis mandaretur. Quam cum Viri deinde doctiſſimi, ſanctiſſimique legerent, atque animadverterent, eo zelo arreptum fuiſſe hominem in ipſo propemodum ætatis flexu, vehementer mirati ſunt, vehementius autem, cum ita perfectam, abſolutamque intelligerent; ve-

he-

hementiſſime vero, cum ea elegantia, ea gravitate, ea doctrina, atque ſacrarum rerum eruditione ſcriptam, reſertamque eſſe viderunt. Sed quorſum hos inferiores dignitatum gradus commemoro? ut nimirum cognoſcatis, Clementem XI, non cæco quodam impetu, non fortunæ munere, non denique partium ſtudio, quod dominari ſæpe vel in his rebus ſolet, ſed per plura veluti ſtipendia, tanquam emeritum militem, in editiſſimum omnium locum perveniſſe. Aditum illius ad honores vidimus, progreſſum videamus; ut vobis omnibus pateat, dignitates eidem non fuiſſe modo ornamenta, quæ utplurimum conferri ſorte quadam conſuevere, ſed teſtimonia cum virtutis, tum probitatis. Omnes omnino noſtis, qua ſanctitate, qua innocentia, qua in æſtimandis hominibus perſpicacitate fuerit Innocentius XI., ut nulli certe homines Sanctiſſimo illi Pontifici probari poſſent, niſi qui & docti, & probi eſſent. Hic igitur, hic ipſe Pontifex, Auditores, Johanni Franciſco Albano aditum ad ampliores dignitates aperuit.

Ete-

Etenim a morte Gualterii Slusii Cardinalis amplissimi, ejusdemque doctissimi Viri, cujus ille opera, & studio utebatur in iis scribendis literis, quæ Brevia nominant, Albanum unum, propemodum adolescentem, sibi a Laurentio Casono, acerrimi item judicii homine, oblatum, in demortui locum subrogavit. Quod munus tam bene, absoluteque gessit, quam aut quisquam alius, aut ille ipse Slusius, qui optime, cumulateque obiverat, gerere potuisset. Annon tanti judicio Pontificis probatum esse, una quædam, & prope maxima, incredibilisque laus fuerit? Ego vero hanc ipsam laudem tanti quidem facio, ut nihilo minus gloriosum illi putem esse hujusmodi aditum ad honores, quam putem summos honores ipsos, quos ille postea est omnes consecutus. Quapropter nemini mirandum est, si, sublato e vivis Innocentio, successor ejus Alexander VIII. eundem, florenti adhuc ætate, in amplissimum Cardinalium collegium adscriptum esse voluerit, ut quem locum jampridem perspecta, atque explorata virtute, magnisque in Romanam

Ecclesiam officiis meritus esset, præsentiæ quoque suæ dignitate, amplitudineque honestaret. In quo Summus ille Pontifex non tam judicio Innocentii acquievit, quam suo, qui nimirum existimaverit, religioni sibi prorsus ducendum esse, nisi ipse absolveret, quod Innocentius inchoasset. Neque vero putetis velim, minori eundem in pretio habitum esse ab Innocentio XII., qui etsi Superioribus Pontificibus tempore concedit, voluntate erga eundem tamen aut omnino par est, aut certe præstat. Innocentius enim XI. viam illi quidem, eamque certissimam ad honores suscipiendos munivit, Alexander autem VIII. supremæ Ecclesiæ dignitati proximum fecit; at Innocentius XII. & quodammodo Principem esse voluit, & ad Principatum efformavit. Etenim ubi primum Summi Pontificatus apicem tenuit, hunc ipsum Johannem Franciscum Albanum adjutorem suum esse voluit, principemque ministrum rerum gerendarum. Nemo unus est, qui nesciat, Auditores, quantopere administratio ista præcellat, in qua difficultas cum rerum amplitu-

tudine, periculum cum dignitate certat. Non enim in Urbe Roma tantum, aut Italia continetur, sed ad Germaniam, Galliam, Hispaniam, cunctamque Europam, & omnem, qua patet Christianum nomen, Terrarum Orbem extenditur. Agendum autem cum iis est, qui natura, ingenio, moribus dissimillimi, atque ut locorum, ita negotiorum ratione disjunctissimi, id unice ob oculos habent, ut rebus suis consulant, obsint alienis; atque ita agendum, ut non tanquam a Principe, sed veluti a communi omnium Parente proficisci omnia videantur. Qua in re quanta opus est omnium rerum experientia, quanta dexteritate, quanta, eaque honesta dissimulatione, quanta denique in perscrutandis hominum animis, ac sensibus facultate! Quibus tamen virtutibus omnibus apprime praeditus, atque instructus Johannes Franciscus Albanus, cum se & Pontifici, & Principibus reliquis Christianae Reipublicae praestitit, ut infensus nemini, gratiosus omnibus, Ecclesiae cum dignitati, tum gratiae optime consuluerit, providerit suae. Summa quidem

hæc, & difficilia, quæ credi possint, fuerunt; sed vera tamen fuere. Sed vel majora supersunt, ut hæc ipsa exigua, & minuta esse videantur. Alii porro existiment, ubi ad hasce amplissimas dignitates evecti sunt, se summam honorum omnium, & laudum attigisse, qui nimirum non admodum curant, quemadmodum evecti sint. Sed si, qui ab una virtute laudes omnes expendunt, modum potius inquirunt, quemadmodum dignitates consequantur, quam quod consequantur. Nunc igitur illud referam oportet, quibus modis, quibus aut hominum rationibus, aut temporum momentis Summus Pontifex renunciatus sit: quæ ubi audiveritis, tum vero stupebitis. Quamobrem quo ampliora sum dicturus, eo diligentius attendatis. Summo Christianæ Reipublicæ detrimento mortem obierant in Italia Innocentius XII., in Hispania Carolus II., isque sine liberis, ut omnes homines summa perturbatione, metuque afficerentur; viderentque futurum, (quod utinam non evenisset,) ut omnis propemodum Europa cruento bello conflictaretur; quod

hinc

hinc Cæsar, illinc Ludovicus XIV. potentissimi Christianæ Reip. Principes, alter Filio, alter Nepoti, tot Regnorum hæreditatem assererent. Cum itaque Romam nuncius est allatus, Regem supremum diem obiisse, tum vero Cardinales, qui novi eligendi Pontificis caussa convenerant, electionem, quam serius, quam oportebat, distulerant, maturandam serio omnes censuere. Itaque etsi Johannes Franciscus Albanus non ea tum ætate erat, quam valde provectam summos decere Pontifices arbitrantur, tamen omnes omnino in unum illum oculos intenderunt, eundemque ad unum omnino omnes Pontificem renunciarunt. Id vero magnum, & præclarum est, eligi, cum id Respublica, ne quid detrimenti capiat, exposcit; tunc etenim non officiorum habetur ratio, sed meritorum. Nemo quisquam Romanorum Consulum, Auditores, majori laude Consulatum est adeptus, atque ille, in quo eligendo, cum sæva in Remp. tempestas, & turbo seditionis ingrueret, una libertatis ratio habita est, ambitio vero nobilium, & superbia

(utor

(utor ipsis historici verbis) postfuere. Tunc etenim, cum ita fiat, suffragia, non ambitus, sed una virtus explorata, & perspecta postulat. Sed ut hæc illius Romani Consulis laus magna sit, nihil propemodum ad Clementis XI. gloriam est. Nam ut aliorum Civium suffragia justa, & sincera fuerint, ipsius tamen Consulis judicium, quo se dignum eo munere existimabat, justum omnino non fuit, utpote qui de se magnifice, superbeque sentiret. Hoc etenim ipso quo se dignum existimabat, indignus videri quodammodo potuit. Sed Clemens XI. ita demisse de se sentiebat, ut in hac una re a reliquis Cardinalibus, quibuscum semper consenserat, dissentiret; & quo magis dissentiebat, cum hoc nomine se dignissimum ostenderet, (ita enim & Christianæ animi demissio, & Ecclesiæ dignitates postulant,) id efficiebat, ut illi a se vehementius dissentirent. O laudem præclaram, & singularem, cujus nusquam nisi in monumentis rerum in Ecclesia gestarum exempla extant; eademque, supremis præsertim temporibus, non sane multa! Omnes autem

Ro-

Romanos Pontifices, non suffragiis hominum, sed praecipua divini Spiritus voluntate eligi, nobis persuasum est; sed illud etiam palam est, & pervulgatum, interdum non ita perspicue suum numen, lumenque patefecisse; interdum vero suo justo, atque arcano judicio voluisse, ut hominum consilia aliquid hac ipsa in re potuisse viderentur. Sed in Clemente XI. eligendo & effecit, ut omnia pura, & sincera suffragia essent, & suam ipsius voluntatem quodammodo ob oculos collocavit. Non video, Auditores, quid ad hujus Pontificis commendationem aut illustrius quicquam dici, aut cogitari possit. Ætas maxime impedimento erat, quin eligeretur: id impedimentum confirmata prudentiæ opinio removit. Incertum Patribus Purpuratis erat, quem in tanto Cardinalium dignissimorum numero potissimum eligerent: sed cum ea tempora incidissent, quibus sanctissimo, constantissimoque Pontifice opus esset, tum vero illico perspicue viderunt, Johannem Franciscum Albanum, unum concedere ætate ceteris, omnibus

vir-

virtute præstare. Una illis reliqua esse poterat dubitatio, num forte fortuna illius animus (quandoquidem nihil magis abditum, & fallax est, quam sensus intimus animorum) suæ de illo præclaræ opinioni responderet: omnem hunc scrupulum demissio illa animi, qua illorum voluntati diu restitit, prorsus exemit. Nullum est enim certius argumentum, homines dignos esse Ecclesiæ dignitatibus, quam cum inviti ad easdem promoventur. Quas si appetant, ambiantque, etsi alioqui digni sint, tamen in eas dignitates invehi, atque irrumpere, easdemque non assequi, sed furari, Christi testimonio ipso dicuntur. Sed Clemens XI., quod sane ad divinam quandam laudem accedit, primum Pontificem imitatus Christum, *non se clarificavit, ut Pontifex fieret*. Pulchrum sane, ac dignum in Romani Pontificis electione spectaculum, hinc Patres nullis officiis, nulla gratia permotos, ultro suffragia deferre, inde illum ipsum, cui deferebantur, contra niti, atque obsistere: illos omnia sibi de illius virtute polliceri, hunc sibi ipsi

me-

metuere, atque diffidere: illos demum summo gaudio perfundi, quod optime rei Christianæ providissent, hunc rei ipsius Christianæ vicem, quæ sibi credita esset, lugere, atque lamentari. Verumtamen cum non tam hominum voluntate, quam certo divini Numinis instinctu, & Deo, & hominibus parendum esse cognovisset, peracta tandem electio est. Quo loco nec profecto possem, neque sane deberem progredi oratione mea longius. Nam verendum mihi quidem esset, ne, cum tantam gloriam amplificare velim, imminuerem. Sed ea sunt, ac tanta Clementis XI. in Christianam Rempublicam merita, ut aliquid dicendum præterea sit. Parum scilicet tanto Viro fuerat, unum ex omnibus dignum habitum esse, qui tam adversis, periculosisque temporibus administrandam sumeret Ecclesiam, nisi rebus præclare a se gestis opinionem, expectationemque hominum confirmasset. Ne vero existimetis, me ex hoc loco referre, ac commemorare velle, quæcumque ille, accepto Pontificatu, gesserit. Etenim ei, qui laudare vehementer cupiat eum, qui

laudes omnes supergreditur, magis quid non dici ex iis, quæ innumerabilia suppetunt, quam, quid dici oporteat, considerandum est. Itaque, quod ii facere solent, qui de Principum rectè factis ferre judicium debent; ea magis animadvertam, quæ Romanæ Ecclesiæ, Clemente XI. Pontifice, contigere, quam quæ ipse sanctè, ac fortiter fecerit. Ac fuerunt illa quidem luctuosa nobis, acerba Ecclesiæ, gravia Christianis omnibus. Conspeximus ipsi scilicet dissectam domesticis, externisque bellis Europam, accensos mutuis, ac lethalibus odiis potentissimos Principes; barbaras, immanesque gentes Italiæ nostræ, & Capiti ipsi Religionis instantes; Cæsarum luctus; exilia Regum, absorptas horrendis Terræ successionibus Urbes; deformatas miserrima animantium brutorum, atque hominum peste Provincias; ac eam denique in omni genere afflictam, prostratamque Rempublicam, quam ipse erigendam, excitandamque, ac in pristinam dignitatem revocandamque suscepisset. Quæ quidem Christianæ Resp. tempora, pro quibus vel con-

ſtantiſſimi quique animos deſpondiſſent, animum Optimi Parentis commoverunt quidem, non fregerunt, non debilitarunt tamen: neque prohibuerunt, quominus ſingulis incommodis, periculiſque, conſilus, ope, auctoritate opportune occurreret. Hinc effectum eſt, ut tum cum ille feliciſſimum vitæ ſuæ curſum abſolveret, perfecta propemodum Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitas temporum illuceret. Exitiale bellum illud a barbaris conflatum feliciſſime confectum erat: victoriæ terra, marique adverſus eoſdem barbaros partæ: Regum potentiſſimorum diſsidia, quæ vix extingui poſſe videbantur, compoſita: ſumma in Italia hominum, pecorumque valetudine, ſumma annonæ vilitate, ſumma pace, atque otio, & periculorum vacuitate fruebamut. Omnis autem poſteritas, cum temporum noſtrorum monumenta legerit, intelliget, qualis, quantuſque Pontifex fuerit Clemens XI., qui, Rep. tam magnis calamitatibus jactata, & clavum tenere, & deducere eandem potuerit in quendam veluti portum publicæ ſecuritatis. Quam qui-

 dem

dem felicitatem acceptam illi referendam esse negaverit nemo, qui norit, quo studio, qua auctoritate, quo consilio, qua prudentia, qua firmitate animi, quanto auri pondere, quibus demum ad Deum Opt. Max. precibus hanc ipsam ille temporum tranquillitatem promoverit, curaverit, ac plane pepererit. Sed cum ab ea partam Reipublicæ tranquillitatem dico, nemo vestrum, Auditores, existimet, in iis, quæ ad Ecclesiæ temperationem pertinent, quæ Pontificum & germana, & princeps cura esse debet, non æque fuisse diligentem, atque in Republica procuranda fuit. Sed si mea oratio ad illa prætetea, quæ pro Ecclesiæ administratione gessit, excurreret, nullis finibus contineretur. Illud unum dixero, non in Italiæ finibus illud, quo mirifice capiebatur, propagandæ divinæ Fidei desiderium conclusum fuisse, sed ad extremas etiam Sinarum Gentes pervenisse: ad quas semel, atque iterum sanctissimos Viros legavit, eamque in rem talem, ac tantam operam impendit, ut cum gravissimorum negotiorum mole

le premeretur, illi uni rei animum advertisse videri poterunt. Itaque mentem illam, animumque, quem tot in ipsa Europa incommoda exhaurire quodammodo debuissent, ne explete quidem potuere. Sed ne optimæ quidem artes, quæ in his temporum difficultatibus vel ab optimis Principibus negligi consueverunt, illius curam, diligentiamque desiderarunt. Quas enim, & quam assiduas bonarum artium exercitationes in ipso Capitolio suscipi voluit? Quanta sedulitate Vaticanam Bibliothecam, missis in Ægyptum ipsam, qui libros conquirerent, ditandam, amplificandamque curavit? Num vero ornandæ Urbis aut studium illi, aut felicitas defuit? Sed mihi modum aliquem præfiniam oportet. Nam etsi plurimum dicendo valerem, ut propemodum nihil valeo, non modo verbis complecti, quæ ille ample, magnificeque gessit, sed ne cogitatione quidem assequi possem. Ne vero quis existimet, me, quod non omnia persequor, aut illius dignitati, aut meo muneri deesse. Qui enim ita existimaverit, is plane consilium

no-

nostrum minime intellexerit. Neque enim idcirco verba ex hoc loco facio, ut Clementem XI. laudibus ornem; bonorum enim Principum laudes felicius historiis, quam orationibus commendantur; sed propositum nobis id unum fuit, ut grati animi significatio aliqua erga eum Pontificem, qui de nobis sit optime meritus, eademque publica extaret. Quapropter sinite, Auditores, sinite, me ad illum ipsum orationem meam, animumque convertere. Si sincera, si pura, si maxime justa sunt grati animi monumenta illa, quæ mortuis exhibentur, nullis profecto aut metus, aut spei rationibus eblandita; si in beatissimo illo cœlesti regno charitas adversus homines summa, & perfecta est; si tu in ea luce rerum omnium tot, ac tam sanctos Benedictini Ordinis alumnos vides, quot nullius certe Ordinis alios vides; si denique id, quod facimus, magis christianæ pietatis studio, quam ostentationis caussa facimus, tu, inquam, quos nos in terris amore prosequebare, eodem ipso ex illis beatissimis sedibus prosequi perge, fru-

ctus-

ctusque istos excipe, exiguos quidem, sinceros tamen, justi officii erga te nostri: tuis autem apud Deum precibus effice, ut & Benedictinus Ordo suam illam dignitatem pristinam consequatur, & Ecclesia universa, quoniam in id præsertim cogitationes omnium, & vota conversa sunt, cum brevi Pontificem habeat, quem optimum quidem semper, atque sanctissimum postulavit, his vero temporibus omnino flagitat.

